





D. O. M. A. F.  
METHODI COGNOSCENDI ET CURANDI  
Adfectus particulares CAPITIS, Hippocraticis,  
Paracelsicis, ac Harvejanis principiis illustratæ

DISSERTATIO

IN CUBO,

De Quam  
Exprælectionibus publicis

NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, AC EXP-  
PERIENTISSIMI

VIRI,

DN. GVERNERI ROLFINCK,

PHILOS. AC MEDICIN. DOCT. ET PROFESS. PUBL.

FAMIGERATISSIMI, p. t. ACADEMIÆ RECTORIS MA-  
GNIFICI, FACULTATISQUE SUÆ SENIORIS

GRAVISSIMI,

Dn. Præceptoris, Promotoris ac Patroni sui unicè æter-

nūm devenerandi,

potissimum concinnatam,

SUB EJUSDEM PRÆSIDIO

Publico Philiatrorum examini exponit

FRIDERICUS GERBECI

ZITTAVIA - LUSATUS.

d. 26. Febr.

IN AKROAΣEI MEDICORUM

HORIS SOLITIS.


JENÆ

CHARACTERE NISIANO.

ANNO M DC LIII.

5 X X

POST SUPEROS RERUM. FIDISSIMA,  
FLICLRA MEARUM.  
**MAGNIFICK NOBILISSIMI. AMPLISSIMI.**  
**CONSULTISSIMI. CLARISSIMI. PRUDENTISSIMI.**  
**SPECTATISSIMI. ET DOCTISSIMI.**  
**DOMINI.**  
**CONSULES.**  
**SYNDICE.**  
**PRÆTORES.**  
**SENATORES.**  
**INCLUTÆ. ZITTAVIENSIMUM. REIPUBLICÆ.**  
**MERITISSIMI. PATRES. PATRIÆ. LAU-**  
**DATISSIMI.**  
**DOMINI.**  
**MOEGENATES. PATRONI. PROMOTORES. AETA-**  
**TEM. PERCOLENDI. DEVENERANDI.**  
**VOBIS.**  
**ΔΣΧΗΜΑ. HOCCE. MEDICUM. FILIALIS.**  
**CULTUS. ERGO.**  
**IN**  
**HONORIS. TEMPO.**  
**AD**  
**MNEMOSYNES. ARAM.**  
**LUBENS. SACRO.**  
**SIMULQVE.**  
**DEOS. NUTRICIOS. TUTELARES.**  
**EJUSDEM. REVERENTER.**  
**CONSTITUO. EXORO.**  
**SUBMISSE.**  
**FRIDERICUS, GERBERUS.**



**G**enus de Incubo affectu notissimo,  
in quo quispiam per somnum se ab aliquo hoste  
vel spectro invadi, grandi mole opprimi, & quasi  
suffocari putat, adeo ut neque loqui, neque se ul-  
la ratione movere queat: expergefactus tamen  
falsam fuisse imaginationem advertit, & nescio,  
quæ absurdia imaginatur & fingit, hinc à Latinis  
rem ipsam declaraturis

**NOMINATUR** Incubus ab incumbendo. Επιάλπης seu  
Επιάλπης διπό τῷ ἐφάλλεῳ, quod ægri imaginantur insilire cor-  
pori suo objectum aliquod externum: vel ab homine ejusdem no-  
minis, cuius consuetudo erat post crapulas ad accipienda responsa  
perpetuò dormire, ut Petrus Forestus obs. medic. lib. 10. in schol. ad  
observ. 50. à præceptore Benedicto Faventino se intellectu refert. Id  
non infrequens Sacerdotibus fictitorum Deorum apud Ethnicos,  
qui in insomniis se Deorum responsa accipere suis persuadebant;  
cuius rei meminit Virgilius 7. Aeneidos.

Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit  
multa modis simulacula videt volitantia miris,  
& varias audit voces, fruiturque Deorum  
colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernus.

*Plantus in Curculione:* Te incubare satius fuerat Jovi, h.e. dor-  
mire in Capitolio, ut responsa possis accipere.

Ἐπισόλιον à Græcis appellari scribit Cælius Aurelianus lib. I.  
chronic. cap. 3. quod utilis patientibus prohibetur.

Themison referente eodem, & Aegineta lib. 3. de art. med. c. 15. ap-  
pellabant πνιγαλίωνα: Dioscoride à nonnullis vocatur πνιγμὸν ἀνύ-  
πνιον. vocatur βαζεζυνδεῖον, forsan διπό τῷ βαζαζεῖον, quod inar-  
ticulatè & adhæsè loqui significat, quia in paroxyphmo, si altum ex-  
clamare conentur, vox incerta & obscura redditur, qualem inter-  
dum illi, qui comitali morbo laborant, edere solent.

**DEFINITUR** Diminutio operationis motricis, in respiratio-  
ne, voce & motu totius corporis, cum pravâ imaginatione rei in-  
cumbentis pectori, proveniens à vapore crasso spinalem medullam,  
nervorumque principium obstruente, & transitum spirituum ani-  
malium impediente.

**FORMA**, quæ GENERIS locum obtinet, est DIMINUTIO &  
**CESSATIO** operationum animalium motricis & imaginatricis.

MOTRIX clarissimè impeditur, in respiratione, voce & motu  
totius corporis. Licet enim hoc oppressi affectu, vel maximè adni-  
tantur manibus amoliri ponderosam rem pectori incumbenter,   
nihil tamen praestare, neque etiam clamare, aut vocem edere va-  
lent, imò quam maximè conqueruntur de gravitate muscularum  
thoracis, angustaque respiratione. Motrix ergò in Incubo impe-  
ditur, & quidem TOTA, potissimum tamen, cum reliqui motus in-  
somno non sunt necessarii, THORACIS Motus læsio sola phantasiæ  
offertur, quæ Phantasia seu IMAGINATIO varias post comminiscitur  
causas, & fingit rem aliquam ponderosam thoraci incumbere, vel  
Dæmonem, vel mulierem vetulam, vel lapidem adesse, speciesque  
in penum memoriæ reservatas transfert ad locum oppressum. Ima-  
ginatio itaque cum Motrice impedita, adest Depravata: reliquæ  
facultates internæ, judicium, memoria, salvæ sunt, & integræ ma-  
nent: JUDICIUM, quia optimè nōrunt, se videri opprimi à tali pon-  
dere, non tamen revera opprimi: MEMORANTUR, quia dum expe-  
giscuntur, referunt, quæ in somno sibi contigerunt.

Cùm ergò in Incubo sit error Imaginationis, & hic fiat ratio-  
ne objecti gravis, quod videtur præcordia comprimere, & facultas  
imaginatrix sit receptiva objectorum, seu specierum attinentium  
ad externos sensus, operæ precium videtur scire, ad quod objectum  
pertineat hæc species, quæ gravis patienti videtur. Pertinere autem  
reditur ad objectum sensus tactus, quia objectum ratione eâ, quâ  
est grave, vel leve, non ad alium sensum spectat, quam ad tactum.  
Ideò & objectum hoc, quod in Incubo ab imaginatione, spirituali  
more, sub ratione ponderis recipitur, & præcordia comprimere vi-  
detur, ad sensum tactus pertinebit.

Hæcque cessatio motricis & depravatio Imaginatricis in vi-  
giliis æquè ac in somno contingere queunt, vehementior tamen

cit

est Incubus tempore somni. Ligatis enim & sopitis sensibus, non tam facile Imaginatio ad se redire potest, præcipue cum vapores sint crassiores.

Ex hisce constat, Incubum formaliter consideratum esse diminutionem motus in toto corpore, præcipue autem respiratione, & pravam Imaginationem rei incumbentis pectori & suffocantis, adeoque recte referri posse ad symptomata animalium actionum.

Quæ quamvis ita se habeant, nonnulli tamen diversum sentiunt, & inveniuntur qui

existimant Judicium non esse salvum. Si enim ab incubo oppressi recte judicarent, non paterentur metum animo oboriri, neque putarent sibi Dæmonem aut vetulam incumbere. Inò: si Judicium & Ratio sunt illæsa in incubo, qui ergò fieri potest, quod Ratio non corrigat lapsus phantasiæ. Quod etiam confirmari videtur ex eo, cum in somno nullum sit exercitium judicii: ergò multò minus in affectione, quæ somno accidit.

VIGILANTIBUS haud videtur posse accidere Incubus. Aristoteles lib. de somn. & vigil. cap. 3. meminit Ἐπιλήψεως, cui somnus similis sit, οὐδὲ τρόπον πινδὴ ὅπη ἐπίληψις. διὸ οὐδὲ συμβαίνει πολλοῖς ἡ δέχηται πούτε & πάθεσκατευδεστ. οὐδὲ καθόδοντες μὴ αλισκονται, ἐγενοργέτες δι' οὐ. Simile somnus quodammodo epilepsia. Et ideo accidit multis principium hujus passionis dormientibus & dormientes capiuntur: vigilantes verò non. Loqui videtur de incubo. Mercatus lib. 1. de int. morb. causis capite de Incubo, volens ostendere differentiam inter Incubum & Vertiginem, docet: hanc vigilantibus, illum dormientibus solùm contingere. Massarias non posse fieri, ut homo vigilans ita circa imaginationem fallatur, confirmat. Vapores tam crassi in vigilantibus elevari haud possunt, quin potius dissolvantur, aut si non possint dissolvi, potius epilepsiam aut apoplexiā excitant. Dormientibus potissimum accidit, quia calor nativus in somno vegetus factus in crassos viscidos, crudosque humores validius agit, halitusque caliginosos & vapores crassiores ab illis elevat, illis verò primo statim somni accessu, in quo incubus fieri solet, discutiendis minimè sufficiens est.

Ad primæ difficultatis illustrationem distingendum inter il-

los qui judicium habent liberum confirmatum & vanis superstitionibus præoccupatum. Hi cum incubo corripiuntur, facile assentiuntur imaginationi à sensu tactus delusæ, & externum aliquod pondus thoraci incumbere putant. Illi verò non item, sed falsam imaginationem esse in ipso paroxysmo ratiocinantur.

Et in his etiam ratio phantasie lapsus corrigit. Dupliciter operatur ratio: 1. per conversionem ad phantasmata ab imaginazione fabricata, unde intelligentia phantasmata speculari oportet, ajebat Aristoteles. 2. per conversionem ad species reservatas in penu memoriae. Utroque modo sàpè in incubo in vanâ opinione præoccupatis, judicium assentitur, in consistentis judicii hominibus non item.

Quod attinet operationem animalium in somno functiones, sciendum ordinariè sensus internos & externos feriari: nonnunquam tamen extordinariè operari. Hinc in somno insomnia imaginatione à vaporibus: in incubo prava phantasmata à difficultate respirandi mota oriuntur. Ratio autem necessitate anhelitus compulsa, in incubo evigilare & judicium de falso phantasmate ferre potest.

Alterum quod attinet, existimamus omnino vigilantibus accidere posse Incubum, confirmati ab experientia: novimus enim pistorem, qui vigilans, stans, sedens crebro incubo corripiebatur. Referunt etiam nonnulli, Massarium hujus suæ doctrinæ pœnas luisse, cùm & ipse vigilans aliquoties incubo corriperetur, & tandem Apoplexiâ prostratus vitam cum morte commutaret. Neque ratio contrarium evincit: phantasia in vigiliis à molestâ re ita deludi potest, & vapores in tantâ copia & crassitie, qui Epilepsia vel Apoplexiæ inducendæ haud sufficiunt, adscendere possunt.

SUBJECTUM cerebrum est, ceu primaria sedes affecta, nonnunquam per se, generata in eo materiâ, vel ex eadem vapore elevato, nonnunquam per consensum partium inferiorum, præcordiorum, ventriculi, hypochondriorum, vapore ex illis locis adscendente.

A vasis genitalibus sàpè vapores seminales in cerebrum elevantur. Sic Illustrissimus Eques Romanus, pro quo consultat Zecchius consult. medic. 42. dum in hunc affectum incidebat, in Venereis ut plurimum occupabatur. Talia enim phantasmata, quales vapores.

Re-

Reperiuntur nonnulli, qui certam partem, anteriores ventricu-  
os, in quibus imaginationem locant: Alii cerebellum: Quidam  
Posteriores cerebri meatus qui ad spinalem medullam tendunt, &  
Præprimis quartum ventriculum seu partes primariò adfectas de-  
te rminant.

Nos an ventriculis adtribui queat hoc malum valde dubita-  
mus: mallemus medullari substantia idem transcribere: THORA-  
CEM autem, licet primò ratione temporis causa per eum transeat,  
& in eo hæreat, secundariò affici judicamus.

Afficiuntur autem tūm cerebrum, tūm thorax secundum com-  
muniter receptam sententiam hoc modo. Cum Pectus, huicque in-  
clusi pulmones à materiâ aut hypochondriis & circâ præcordia  
inhærente, aut etiam inferius stabulante, per crapulam aut crudi-  
tatem, vel etiam aliis de causis turgescente ac motâ premuntur: ab  
haec materiâ turgescente ac commotâ elevantur vaporessursum  
vergentes, & varia mala cientes. Simul etiam diaphragma sursum  
impellunt, penetrant pulmones & arterias oppalent, exteriusque  
musculos thoracis infestant: in cerebro verò obstructionem vel  
compressionem meatuum præsertim eorum, qui ad principium spi-  
nalis medullæ tendunt, ac spiritus animales organis sensus & mo-  
tus deferunt, pariunt. Unde cum spiritus ad instrumenta liberè  
transire prohibentur, imaginatio turbatur, visoque & perce-  
pto pondere gravi confunditur, nec non adfectus pro qualitate ob-  
structionis pejor, periculosiorque, vel levior efficitur.

THORACISQUE motus ita læditur cùm per se, tūm per accidens:  
PER SE, dum vaporess & flatus in abdomen collecti & circa dia-  
phragma subsistentes illud comprimunt, & ita liberum motum  
impediunt, nuncque respirationem difficilem, nunc suffocationis  
metum inducunt. PER ACCIDENS læditur, dum spiritus animalis,  
qui ad motum animalem necessarius est, ad thoracis musculos, &  
diaphragma prodire solitus, prohibitus non influit.

Hinc neque thorax, cuius motus in somno summè necessari-  
us, nec unquam cessat, neque musculi alias respirationi inservien-  
tes suum officium præstare possunt, præcordia tanquam pressa ja-  
cent, manus & pedes ægrè moyentur, imò immobiles penitus ma-  
nent.

Ferne-

*Fernelius lib. 5. particular. morborum* videtur sentire diversum, videlicet cerebrum in Incubo semper affici per consensum, incubumque oriri crassâ pituitâ non in cerebro, sed circa præcordia in-hærente, & musculos pectoris comprimente, ex quâ per crapulam turgente cum vapores elevantur, illi diaphragma comprimunt, & fauces cerebrumque replet.

*Platerus* etiam & *Sennertus* partem primariò affectam & τὸ πέπων παχὺν esse præcordia & imprimis musculos thoracis & pulmones respirationi inservientes; per consensum verò harum partium subjectarum pati cerebrum, facultatesque sensitricem, motricem & imaginatricem ab adscendentibus fumis, & imprimis ex fallaci perceptione oneris thoracis partes gravantis perturbari, & in suis actionibus ordinariis seduci statuunt.

In Incubo quidem sensus & motus quædam adest ligatio, illa tamen tanta non est, qualis in gravioribus affectibus, sed talis somnum, qualis in profundè dormientibus accidere solet.

Et licet caput quoque repleatur à vaporibus, illa tamen reple-tio incubi causa non est, neque caput subjectum est læsæ respirationis, sed solum læsæ Phantasiæ. Primariò autem thorax afficitur, dum à vaporibus adscendentibus respiratio læditur in somno: con sequenter inde phantasma oneris incumbentis formatur, ut homo se ab aliquo pectori incumbente opprimi somniet. Vide *Sennertum in paralipomenis c. 10.*

*Verum enim verò multa in hâc communiter receptâ sententiâ tum illorum*, qui cerebrum primariò, thoracem secundariò, tum eorum, qui thoracem primariò, cerebrum secundariò adsici statuunt, desideramus, quæ lubentes præterimus.

Ne tamen nihil dicamus, concedimus circa thoracem colligi materiam posse, illum tamen somitem causarum antecedentium solum: Cerebrum verò partem affectam primariam agnoscimus. Non negamus thoracem musculosque respirationi inservientes, ipsumque diaphragma in hoc affectu à vaporibus ad pectus adscendentibus pati, cum plerumque post crapulam repletionem & cruditatem, in primo somno, invadat. Hæc tamen compressio, quamvis respirandi difficultatem parere facile possit, ad incubum inducendum non sufficit. Non ingruit Ephialtes, nisi cerebro vapores crassi

crassi communicentur: unde non raro aliquandiu, donec vapores  
isti discutiantur, in falsa imaginatione, etiam si excitati a paroxysmo  
fuerint, persistunt, & manente fomite saepè Apoplexia vel Epilepsia subsequitur. Thoracis motus, & muscularum laryngis, dia-  
phragmatis, impeditur propter spirituum animalium in nervos in-  
gressum prohibitum. Ex his humoribus vapores tum per spacia  
inanis, tum per venas & arterias ad caput adscendere possunt.

CAUSA IMMEDIATA est influxus spirituum animalium in  
nervos prohibitus, non tamen ex toto ablatus. Quamvis enim  
illi, qui thoracem primariam partem affectam constituunt, cere-  
brum tantoper non accusent, in thoracis & laryngis solos muscu-  
los omnem culpam rejicientes, nihilominus verisimile est, impedi-  
tum harum, ut & reliquarum corporis partium motum commo-  
dissime in fontem animalium spirituum rejici posse.

MEDIATA causa secundum essentiam considerata est Aver-  
umiacis seu Vapor, nam incubus est ex genere eorum affectuum, qui  
citò fiunt & citò desinunt: ut non referri possit in intemperiem,  
qua secundum Galonum 3. loc. aff. c. 7. nec citò fit, nec citò desinit,  
sed sensim.

Hic vapor obstruit vel comprimit poros medullæ spinalis &  
principii nervorum, & si secundum effendi modum consideretur, &  
quidem primò ratione QUANTITATIS peccat copia. Deinde ratione  
PRIMARUM QUALITATUM hic flatus sive vapor semper est frigidus,  
& est modò humidus, ut pituitosus, modò siccus, ut melancholicus.  
Peccat etiam in SECUNDIS, quia est crassus, alias non tolleret mo-  
tum & sensum, minetaque ejus est humor crassus. Non est vapor  
tenuis, acris, mordax, sed crassus ignavus, qui in poros medullæ se  
insinuat, & transitum spirituum intercludit, quemadmodum ne-  
bulosus aër, radios & splendorem Solis intercipere solet, ne tellu-  
rem illustrent, neque periculum hic epilepsiae perpetuum à vaporib-  
us illis, carent enim illo occulto periculo.

PROXIMORES Causæ sunt HUMORES omnis generis.  
*Avicenna* nominat vaporem materierum grossarum, sanguinearum,  
phlegmaticarum, melancholicarum: hicque generatur vel in  
cerebro, vel extrâ cerebrum: & cum crassus sit, materiæ, ex quâ ele-  
vatur, affinis fit, ut non citra difficultatem ægri expergefiant, & ab

B

acces-

**S**accessione non sine vi magnoque conatu liberentur. Pituca crassa & Humor MELANCHOLICUS s̄epissimè in hypochondris & præcordiis hærent, vaporesque ad diaphragma, musculos thoracis & cerebrum mittunt. SANGUIS etiam crassus in venis contentus similes exhalationes præbere potest. Sæpè contingit in puerperis post partum, si à crassis succis & lochiis non benè fuerint expurgatæ.

Paracelsus de incubo nihil memoratu dignum ferè posteritatū reliquit. Quæ vero lib. 3. de origine morborum invisibilium p. 101. de generatione incubi & succubi ex Ipermate imaginationis in amore Hereos, ejusque translatione à spiritibus nocturnis & generatione monstrorum adferuntur obscuritate scatent densâ, neque rem explicant, sed involvunt & implicant: meritoque à nobis ut naturali veritati dissentanea, non conformia, publicæ persuasioni fallaci & inani relinquuntur.

Helmontius, jus duumviratus in scripto libro t. 15. & sequentibus causam Ineubi statuit non esse VAPORES CRASSOS medullam spinalē infestantes.

VAPORES crassos 50. solidis annis destillationum se nondum vidisse ait. Exhalationes corporeas admittit, in quibus res volatilis sublimatur, scanditque ad latera vasis. Sed VAPORES AQUEOS CRASSOS nondum vidit aut novit, nisi inter Academicos vaporum ignaros. Imò utcunque crassi essent, saltrem ad excitatoris libitum aut crassitiem amitterent, sistereturque ealor extemplo, qui ejusmodi vapores excitâsse. Utrumque sanè ridiculum. Explodit etiam, quod dicunt, MEDULLAM esse affectam ob denegatum in somnio motum. 1. enim sic ad excitantis libitum omnis vapor cesseret. 2. Vapor in supino decubitu non penetrat ad medullam, intra vertebrae contentam aut lumbos, vapores illi potius tenderent ē Stomacho in intestina, vel in umbilicum sursum non deorsum ad medullam clausam, intestinisque oneratam. 3. Nihil loquela cum spinali medulla commune. 4. Cur vapores hi tantum petent nervos recurrentes.

Ipse autem statuit, actionem regiminis duumviratus, impedimentum nempe stomacho oblatum solo sui vitali regimine, absque vaporibus aut fumis turbare cerebrum, nervos conceputus.

ptus que priores viciare, quatenus interruptit lienis solatia.

*Harpejuni ex principiis novam causam communisci quis posset a circulatione petitam. Dum enim crudus chylus post errores in victu collectus, in prima coctione non rite elaboratus: per lacteas thoracicas in subclaviam & per jecorarias in cavam delatus, cum sanguine mixtus, non dexteritate eâ, quâ conveniebat, moveretur, sed in circulatione sua impeditur, in dextro ventriculo restitat, nec per pulmones satis expeditè in sinistrum ventriculum transit, hinc sanguis arteriosus & spiritus vitalis per arterias carotidas & cervicales non justo tramite cerebro communicant, spiritus animalis languet pabulo destitutus, nec nervorum sexto pari, quod recurrentes propagat, nec reliquæ spinali medullæ in debitâ quantitate suppeditatur, hinc cessat motus non solum totius corporis, sed & imprimis thoracis: cuius motus defectum etiam præcipue advertimus, cum eo in somno etiam indigeamus quam maximè, alio totius corporis non item.*

**REMOTIORES NATURALES** sunt TEMPERAMENTUM melancholicum, quod maximè obnoxium est huic ægritudini.

**NON NATURALES** sunt AER crassus, qui humores intricat, vaporesque turbidos generat. *Narrat Cælius Aurelianus aliquando Romæ hunc morbum fuisse Epidemium, publicè graffatum & multos jugulasse, quasi pestis quædam fuerit.*

VICTUS crassus vaporosus, nimia cibi ingurgitatio, repletio, crapula, cruditas, vapores nebulosos ad cerebrum mittunt.

INEDIA insueta ventriculum pravis replet humoribus, & vaporibus liberum ad superiora aditum concedit.

ANIMI INTENTIONES intempestivæ, ut in literarum studiis, cruditates cumulant, cerebrum debilitant. In adolescentiâ, cum quidam in multam noctem lectione Homeri detineretur crebrius avidissimus Græcæ Poëseos cultor creberrimo incubo corripiebatur.

SOMNUS dupli ratione temporis, & decubitus ad incubi generationem facere videtur. RATIONE TEMPORIS; si vel longo nimis vel diurno, vel statim post pastum, præfertim largiore, quis indulget somno, naturales evacuationes impediuntur, calor nati-

vus hebetior redditur, pituitosi humores in corpore colliguntur & fluxiones augentur. RATIONE DECUBITUS, si supinus ille est, repletionem in capite excitat, *& ut ait Avicenna lib. 1. fen. 3. doctr. 2. cap. 9.* ad apoplexiā, epilepsiam & incubum præparat, superfluitates facit inclinare ad partem posteriorem cerebri, quæ post retinentur, nec per suos incedunt canales, qui sunt à parte anteriori, ut palatum, os, nares. Hæc ratio locum habet solum in incubo *idiotico* per essentiam cerebri: *In sympathico* autem ab hoc decubitu in dorso crassus sanguis in vasis hypochondriacis & cava restans incalescit, & vapores congeneres de se spargit & ad cor vehit.

VIGILÆ, dum ab illis balsamum illud vitæ humidum scil. radicale absumitur, calorque nativus debilitatur, hūc non minùs referti possunt.

RETENTIO excernendorum huc etiam confert. Si semen & sanguis menstruus solito diutiùs retineatur, etiam in vasis & receptaculis suis naturalibus labem contrahit, & vitiosos vapores emittit.

RES PRÆTER NATURAM VERMES in pueris sæpè tales: vapores exhalant.

SUPERNATURALES ab antiquis in magno precio habitæ. Existimârunt illi Deos, Semi Deos, reverâ in naturâ rerum existentes, invadere quiescentes, imò Dæmonem ipsum torquere eosdem, imò sæpè improbos esse mulieribus, nonnunquam etiam viris, turpis libidinis usum ab iis exigendo earumque appetendo & peragendo concubitus. Sed Principes medicorum fabulas has eliminârunt: Inter quos non postremus Aëtius, qui ex Posidonio scribit: Incubum non esse dæmonem, sed magis præludium & proœmium, quoddam morbi comitalis, aut infaniae, aut apoplexiæ. Quo respicientes etiam Hollerius de morb. intern. Wierus de lamiis. Bauhin. de hermaphroditis, hunc affectum epilepsiam nocturnam appellârunt.

DIFFERENTIÆ I. RATIONE FORMÆ tot oriuntur, quot sunt depravatae circa phantasma & speciem objecti gravantis imaginationes. Unde alius incubus, in quo æger se opprimi putat à Dæmonie, aliis à pondere gravi intercipiente anhelitum. Aliquis:

Ephi-

Ephialticis visum fuit spectrum per fenestram intrare cubiculum, 18  
lentum accedere, & à pedibus adscendere, totumque corpus com-  
primere. Alius querebatur quālibet nocte ad se commeare mul-  
erculam, pectori suo illabi, animæ vias digitis comprimere, hinc  
clamare cupienti vocis iter sibi præcludi, ut licet conetur pondus  
ā se amoliri, minimè tamen queat nec manus ad propulsandam in-  
juriam, nec pedes ad capessendam fugam expedire. Forestus dum  
adhuc puer esset, à cane nigro se' opprimi, ut anhelitum trahere non  
potuerit, putabat lib: 20. observ. de cerebr. morb.

II. RATIONE SUBJECTI. Alius est Essentialis cerebro, aliis  
per consensum ventriculi hypochondriorum oritur.

III. RATIONE CAUSÆ. Alius à pituitâ, aliis à melancholiâ  
oritur.

#### SIGNA ΔΙΑΓΝΩΣΤΙΚΑ.

I. RATIONE GENERIS haud sunt obscura, conqueritur  
enim æger se quasi onere gravissimo premi, vocem nec edere, nec  
respirare posse, strangulari quasi deditâ operâ, neque se movere  
posse, tandem multo cum labore è somno expurgisci, & tumultuo-  
sè excitari. Hinc interdum ejulatus obscuri, & ad suppetias fe-  
rendas Deum ac hominum fidem implorantium clamores, sed in-  
certi illi, inarticulati & confusi, mugitum potius referentes, nec  
dum sermone expressi, quod lingua illis astricta quasi teneatur.  
IN EX PERRECTIS & à paroxysmo liberatis, facies & gula-  
nvida, gravedo cervicis, corporis tremor, sudor frigidus & cordis  
nimia pulsatio. In nonnullis Maculæ lividæ erumpunt, ex nigre-  
diue rufescentes, violaceo colore perfusæ. Hæ oriuntur ab hu-  
moris peccantis ad loca extera & cutim propulsione.

DIFFERENTIAS etiam FORMALES ex relatione patientis habe-  
mus, an circa objectum quod sensus, tactus depravata fuerit Imag-  
nation, an fuerit spectrum, fœmina &c.

Signa differentiarum ab ALIIS AFFECTIBUS etiam non sunt  
obscura.

DIFFERT I. A VERTIGINE, quia Vertiginosi omnia in gyrum  
agi existimant. Ephialtici verò thoracis de gravitate conquerun-  
tur. II. AB INSOMNIIS, quod insomnia citra morbosam in corpore  
affligit & dispositionem, citraque thoracis gravitatem monstris

12 & imaginibus plena sint : Incubus vero non nisi praexistenti in corpore mala quadam dispositione accidat. III. AB APoplexia, quia non est totalis obstructio. IV. AB EPILEPSIA, quia est sine convulsione, neque spuma ante os consistit.

II. MATERIALIUM differentiarum à subjecto sumimus signa. Si per PRIMARIAM capitis affectionem fiat, expergefacti laborantes, licet respirare difficulter desinant, & velocius se posse movere cognoscant, nihilominus tamen per aliquod temporis intervallum, imaginandi potentia non reddit ad pristinum statum, causa enim mali in capite, ejus venis, & vicinis sedibus immoratur, & cum justo crassior sit, difficulter solvitur. Praecesserunt CAUSA & CONCOCTIONEM alimenti in cerebro perturbantes, unde excrementa tenuia vaporosa, fuliginosa & crassa coacervantur. Praecessit nonnunquam frigus externum vehementer capiti occurrentis, quod prohibet alimenti vapores diffundi, eosque impellit intus & incrassat. Praecedunt nonnunquam tinnitus aurium, dolores capitis &c.

Si vero PER CONSENSUM ab halitibus adscendentibus fiat affectio, expergefacti laborantes protinus resipiscunt, nondum enim in cerebro malum fixum. Et quidem fieri per THORACIS consensum indicio est, quia expergefacti laborantes, licet mente constent, dampnam difficulter respirant, quasi à citiori cursu excitati. Hæc Mercatus.

III. EFFICIENTIUM causarum signa etiam patescunt, si attendamus elegans Avicenna effatum : Unusquisque humor causat phantasma cum colore suo. Si ergo à sanguine, patientis imaginabitur se habere supra se objectum coloris rubicundi, aderunt indicia redundantis sanguinis, venæ latæ, color rubeus, adest ætas & viætus ratio, quâ sanguinem potuerunt generare. Si à melancholico vase, objectum apparebit nigrum. Si à pituita objectum erit albicans. Si à semine, indicia erunt copiosi seminis.

### ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ I. SALUTIS ET MORTIS.

I. RATIONE GENERIS. Licet incubus suapte naturâ, si raro contingat, raro sit lethalis, imò nunquam, imò ferè nullius momenti. Attamen si sœpè invadat, perseveret, vitium non est contemendum: malus est in ratione signi & causæ. Avicenna loquens de pro-

*dagnostico, docet: contumendum non esse, quoniam nisi citò  
ei occurramus, minatur epilepsiam, apoplexiā, melancholiā.  
Epilepsie est antecessor, si crassi vaporess densentur, & hærentes in-  
cerebri substantiā μίασμα peculiare contrahant. Apoplexiā mi-  
natur, si eadem materia principium spinalis medullæ comprimat.  
Melancholia succedit, si à vapore plus justo frigidiori & sicciori ce-  
rebrum exsiccat. Nonnunquam etiam subsequitur subitanea  
& repentina mors. Hinc Varandæus inter alia certissimum esse ex-  
clamat; Incubum tam in latitudine sanitatis (nisi forte contingat  
ex magnâ crapulâ) quam in morbis frequenter recurrentem ma-  
gnum portendere periculum, quia indicat flatuosorum humorum  
magnum copiam & naturæ oppressionem.* tract. de prognost. mor-  
bor. i. dist. 2.

Periculosus est Incubus, à quo æger stupidus permanet: Peri-  
culosior est, qui accidit partim vigilanti, partim dormienti: De-  
terior, si è somno evigilantes cum palpitatione cordis, syncope, pa-  
vore, horrore deserat, aut sudores frigidi ad caput & ventriculi se-  
dem appareant.

*ratione subjecti. Essentialis Incubus gravior  
est, quam sympathicus, præcipue si ab innata cerebri debilitate ob-  
riatur.*

3. RATIONE CAUSÆ. Minus periculosus est à causâ externâ.  
Mitior à sanguine, quam melancholia & pituita.

H. LONGITUDINIS. Difficulter & non nisi longo tem-  
poris tractu curationem admittit, eoque longiori, si inveteratus  
sit affectus. In inicio itaque, dum adhuc Embryonatum est, ei oc-  
currendum.

III. MODUS EVENTUS. Neterminetur in dictos gravior-  
es affectus, aut ipsam mortem. In principio facile curari potest dis-  
soluti vaporibus & materia peccante, e qua elevantur

CURATIO duplex est: una in paroxysmo, altera extra paro-  
xysum. Quæ requiruntur in paroxysmo.

IN PAROXYSMO non est operosa CURATORIA INDICA-  
TIO quidem hîc juber vipotenti cerebri meatus quadam tenus ob-  
struentem discutere, sed cum rati præsentes adsint alii, qui ani-  
mum advertant, aut talium præsidiorum materias ad manum ha-  
beant,

44 beant, insistendum aliis auxiliis. Statim igitur, ne suffocationis periculum augeatur, excitetur. Æger commovatur, CAPILLUS capitis attrahatur, facies ejus aquâ frigidâ leniter aspergatur. Extrema FRICARI jubet Rhazes, ut vaporess aliquâ ex parte retellantur. Potentissima materia præsidii excitantis, est COMPELLATIO ægri per nomen, cum sacro baptismatis fonte ipsi inditum, eo enim acclamato natura evigilare solet, ægrique animati pondus à se excutere conantur. Vide Levin. Lemn. de occult. nat. miraculis cap. 5. lib. 2. Aqua Zedoarie, cinam. anet. spir. anisi interius conveniunt. Et cùm incertum sit invasionis tempus, noctuque potissimum urgeat, ideo ne auxiliis destituti relinquuntur in paroxysmo, soli dormire non debent, qui huic malo obnoxii sunt, sed summe proficuum erit.

SEMPER habere aliquem Pyladem, qui curet Orestem.

EXTRA PAROXXSUM. Indicatio PRÆSERVATORIA jubet humorem peccantem præparatum evacuare, ne regeneretur, & ne paroxysmus crebrius recurrat, viscera & cerebrum confortare. VITALIS requirit bonam victus rationem ad virium conservationem necessariam in toto corpore.

MATERIAE Præsidiorum desumuntur

EX FONTE I. XEIPOTPRIKΩ VENÆSECTIO potens remedium, si à sanguine crasso venæ repleantur, aut suppressio adficit consuetæ evacuationis, hæmorrhoidum, mensium. Si neque ætas, neque vires, neque quicquam aliud vetuerit confidenter ad illam accedere poterimus.

Locus diversus est. Nam si in toto corpore sanguis hic abundaverit, aut circa secundum sedem elegerit, fecundaria vel mediana dextri brachii, vel si in venis circa cerebrum hærentibus, Humeralia aperiri poterit. Si ad suppressionem mensium aut hæmorrhoidum evacuationem affectus subsequutus fuerit, ipsam ad consuetum locum revocabis, apertione Hæmorrhoidum, vel venæ tali. Saphena & pedis inferioris venis sectis simul etiam deplentur arteriæ. Hæmorrhoidalium autem venarum reseratio imprimis usui, deplentur enim non solùm hæmorrhoidales sed & aliæ venæ in confinio mesentericarum & splenicarum vitiosi sanguinis condæ & promæ: imò arteriæ etiam ipsæ.

QUAN-

**QUANTITATEM** sanguinis educendi in Incubo quod attinet,  
an ille impurus sanguis copiose educendus, an parcius, an vero ca-  
cochymia solum evacuanda per alvum queritur?

Cum cacochymia haec maximè circa venas lacteas, & cava Je-  
coris stabuletur ex haemorrhoidalibus vasis educi poterit commo-  
de in notabili quantitate & satis largè, quantum illius ratio loci  
fert. Sed cum una vice sanguis exauriri inde nequeat, copiose  
partitum educatur, nisi enim hoc fiat, impurus ille sanguis quamdiu  
vasis includitur, per Cor revolutus illud anguitare, & cerebrum,  
ipsum labefactare potest.

CUCURBITULÆ scarificatae etiam applicari queunt.

FONTICULI, si à causa interna proveniat affectus, non sunt inu-  
tile & pro ratione partium affectarum vel dextro, vel sinistro cruri  
inuri, vel si caput essentialiter labore, brachio infigi possunt.

II. ΦΑΡΜΑΚΕΙΑ respicit corporis & capitis crassos humo-  
res, vitiososque viscidos succos, qui lenientibus, si in primis viis co-  
piosi hæreant, tentandi, post præparandi, & digerendi, ut juxta Hip-  
pocratis & Galeni præceptum 2. aphor. 9. tum meatibus reclusis, tum  
humoribus attenuatis corpus euergov fluidum reddatur, & demum  
educendi.

LENITUR alvus lenientibus & mediocriter stimulantibus, **A.**  
*loë, Cassia, Manna adduntur scamm. gialap. Etz.*

**Rx El. diacathol.** **Rx Extr. diacarth. 3ij.**

*diaphæn. a. 3ij.* *Mag. gialapp. gr. vij.*

*cass. rec. extract. 3ij.* *el. de psyl. Minsicht. 3j.*

*sacch. q. f.* *cum saccharo.*

**F. Bolus.** **F. Bolus.**

*Pilulae Aloëticæ acuantur trocis. albandal in minori dosi.*

CLYSTERIBUS etiam LENIENTIBUS in primis viis stabulantes &  
terris vaporibus cerebrum animalis facultatis sedem infestan-  
tes humores educuntur. Parantur ex laxantibus & emollientibus  
materiis.

**Rx herb. malv.** **primul. veris a. m.**

*alth.* *nd. liliorum alb.*

*mercur.* *valerian.*

*branc. urſus.* *paeon. a. 3ij.*

**G**

**fm.**

**U X**

sem. fænugr.

dauci

anisf. a. 3*pj.*

ficum ping.

prunor. damasc. a. nō x.

Coq. in suff. q.

eq. fontan.

Colatur. lib. addit.

el. diacathol. 3*j.*ol. anethin. 3*j.*salie gemmae 5*j.*

Misce.

PITUITOSUS humor incidentibus, abstergentibus, quibus  
discutientia flatus addenda, digeritur: Sirupo de stæchade, mentha,  
absinthio: Aq. salv. majoran. fæniculi. MELANCHOLICUS si prædo-  
minanter peccet, Sirup. de fumariâ, epithym. borrag. bugloss. Aq. sco-  
lopendr. cuscit. BILIOSUS si peccet, quod tamen rarum, Sirup. violar.  
nymph. cichor. Aq. portulac. conuenit.

HIS semper PECTORALIA addantur, in sympathetico præcipue:  
CEPHALICA in Essentiali. PRIORA sunt sirupus de hyssop. glycyrrhizâ,  
oxymel de scyllâ in epilepsia, incubo & similibus affectibus à Levino  
Lemnio lib. 2. occ. nat. mimc. cap. 3. commendatum. Laudes suas  
hic meretur, cum thoraci dicatum, & pituitosis & melancholicis  
humoribus aptum sit medicamentum. POSTERIORA sunt sirupus  
de pæoniâ, lilior. convallium. Medicamenta ex tartaro parata hîc et-  
iam prosunt. Cremor. crystall. ♀. ♂ tatus, tinctura, spiritus.

Rx crystall. ♀. 3*fl.*

salis pæon. vitriolati g. iiiij.

ol. fæniculi g. iij.

F. Pulvis.

Rx aq. epilept. Langii.

asthmatic. rubr. a. 3*fl.*sirup. hyssop. 3*vij.*spir. ♀ 3*j.*

M. F. Potio.

PRÆPARANTIA hisce subjungenda. Illa varia sunt, imprimis  
tamen, quæ caput & thoracem respiciunt, hûc in medium confe-  
renda: & quoniam plerumque pituita & melancholia accusantur,  
ad hos duos humoris animus præcipue dirigendus.

PURGATIO præparatis humoribus institui potest; repetatur  
per intervalla, habito respectu ad partes tum essentialiter, tum per  
consensum affectas. Si una aut altera vice scopo haud satisfacit,  
iteretur tertia, quartâ. Inò magis expediet καὶ ολίγον, paulatim,  
quām κατὰ παλὺ καὶ ξεπίνης, semel & repente, subito & plurimum  
educere. Hippocr. 2. aph. 51. PITUITOSA educitur Mechaacanna, Gia-  
lap. Agaric. Turpeth. MELANCHOLICUS humor Elleboro, Senâ, Dia-  
catbo-

x. 3

catholico, Pilul. defumar. Oxymel. helleborato. BILIOSA, si adsit,  
scammon. Rhubarb. Formulæ sapè propositæ ad institutum hoc  
varianda.

Rx Sp. atacarth. 3ij.

gialap. nigr. resinos. g. x.

fecul. ari.

magist. salis pœon. Oati n.

g. iij.

ol. citri g. ij.

Misce. F. Pulvis.

Rx Mass. pill. panchym. n. ordin. 3ij.

trocbsc. albandal. g. ij.

resin. scammon. g. j.

Salis fraxin.

ol. turra. g. ij.

cum oxymel. helleborat.

F. Pilule.

VOMITORIA in stomachico incubo a cruditatibus exorto non  
sunt negligenda. Vacuatut materia ex ventriculo commode, de-  
cocto indic. & sem. mpham, gilla Theophrast. croco metallor. præci-  
pue si ad superiora vergat 1.apb. 21. & circa dextrum orificium stabu-  
lentur.

Rx Mannæ vomitorio

rum 3ß.

exhibetur in juris

pulli cochleari,

& superbi-

antur co-

chlearia

vij.

GLYSTERES nonnunquam fortius revellentes intermis-  
scendi.

Si spes sit, Aq. Poenæ humores peceantes discuti posse,

Rx bezoard. lun.

fl. \* Martialium a.g.vj.

salis volatilis C.C.g.ij.

E. Pulvis. exhibendus in

cochleari vini.

Rx Aq. zedoar. comp. 3ij.

spir. C. C. rectif. g. iiij.

rectif. g. vj.

sirup. scordii 3ß.

E. Haustus.

Dioúγονις etiam in sanguine cumulatas partes frigidas & hu-  
midas, quæ pituitosæ, & frigidas & siccæ, quæ melanckolicæ appel-  
lari merentur, per renes & vesicam exterminat.

Rx Θ genista essential.

magist. ocul. 69. x.

g. vj.

spir. Θ i coagul. g. ij.

E. Pulvis.

Rx aq. nephritic. calid. 3ß.

mist. simplic. camphor. 3ß.

sirup. de quinque radic.

3j.

M. F. Haustus.

C 2

PAR-

**PARTICULARES VACUATIONES** capitum institui queunt errantia  
Et apophlegmatismis, nonnunquam etiam sternutatoris, si vitiosis  
succis abundaverit, eosdemve receperit. Mastichis grana selectiora  
masticentur crebro in ore.

Vel Rx mastich. elect.

rad. pyrethri a. 3j.

saccar. in mucilag.

engacanth. q. f.

solani.

F. Globuli.

Rx herb. origan.

betonic. a.

Bulliant. in aq. &

vino.

Colatur addantur

oxymel. scyllitici 3ij.

M. Pro Gargarisme.

Rx fl. lili. convall.

rad. ireos Florent. 4. 3j.

Pulverifatis

adde

ol. citri

anisi. a. g. iii.

Pulveris. attrahantur in

nares quantitate ervi ad lu-

bitum.

**ALTERANTIA** intemperiem viscerum, Jecoris, Lie-  
nis, Uteri & ROBORANTIA his sunt conjungenda: tam  
Interna Generalia & Specifica in Epilepsia proposita, quam Ex-  
terna.

INTerna ferè potissima sunt in Epilepsia proposita. Excel-  
lunt hic Electuarium Pleresarconticum cum confectione Alchermes,  
Et speciebus Diambra permixtum, continuato ejus usu à somno &  
sub lecti ingressum per aliquot dies. Commendatur Et Theriaca,  
singulis septimanis bis exhibita, cum aquâ Epilepticâ Langii.  
Pauperiores uti possunt semine paeonia nigra in farinam trito  
& cum suâ aquâ exhibitæ, hæc enim antephialticam vim  
habere creditur, & ob hos mirandos effectus *Cialetia dicta*  
fuit.

De Paeoniâ dignum notatu est testimonium Avicenna in cura-  
tione incubi. Conforta, inquit, caput ex iis, quæ juvant ad hoc, &  
talia sunt GRANA paeoniae, quæ secundum continuitatem su-  
mantur.

SEmen paeoniae ergo commendat præcipue, quod est medi-  
camen-

**camentum agens non tantum qualitatibus primis manifestis, ve-** 19  
**tum etiam occultis.** Cum enim semina quoad manifestas sint calida  
sicca, prosunt & ratione contenti, & ratione continentis. Ratione  
CONTENTI, discutiunt enim flatus caliditate & siccitate. **Humo-**  
**RIS** crassitatem & lentorem etiam attenuant & detergunt : Ratione  
CONTINENTIS, id est, capitis illud refrigeratum calefaciunt. Oc-  
cultis etiam qualitatibus juvant, habet enim magnam familiarita-  
tem & proportionem cum cerebri substantia, ut merito hujus simi-  
litudinis roboretur cerebrum, & omnis vis animalis in eo residens,  
quibus omnibus robustis redditis, noxium expelli nec non humo-  
ris generatio prohiberi potest.

Proponens modum administrandi & rectum nsum, In Potu  
exhibere jubet, ut cum aquo vehiculo eorum vis in altum magis  
possit penetrare, & ad locum longinquum pertingere. Exhibere  
etiam jubet non SEMEL, sed pluries CONTINUANDO, quia id requirit  
resistentia hujus affectus, qui non facilē cedit.

**Tinctura Corallorum bisce insultibus adversatur, ut & eorumdem**  
**& Margaritarum magisterium. Liquor Lunae peculiariter in his affe-**  
**tibus commendatur.**

**Rx spec. diambr.**

diamosch. dulc.

pleres farcont. a. 3j.

succ. pñap. 3B.

granor. pæon. nigr. 3j.

conserv. agerat.

anthos. a. 3B.

extract. acori. g. viij.

faccar. alb. in

aq. carfunc. 3j. &

fl. lil. convall. q. s.

solut. 3vij.

sub finem addendo

ol. succini

majoran. a. g. x.

M. F. Morsuli.

PECTUS etiam ROBORANTIA, Ventriculum, Uterum corroboran-  
tia. deobstruentia hic non negligenda. Quibus intentionibus  
aliquo decocto ex Ligno sancto, sassafras, omnibus modis occurtere  
possemus.

EXTERNA. Generalia confortantia & specifica, Cucurbita, Balsa-  
mi cephalici sunt ex his.

C 3

Rx Ol.

ligni Rhod.

majoran.

succini.

salvie.

anthos a. g. vij.

curi g. xij.

balsami Peruviani 3B.

moschi

ambra a. g. iiij.

M. F. Balsamus.

By fl. stæchad. Arab.

lilior. convall.

primul. veris.

pæon.

rosarum rub. a. mB.

rad. pæon.

acori.

ireos Florent. a. 3B.

caryophyll.

nuc. mose.

macis.

thuris a. 3ii.

sem. pæon. 3ij.

gum. hederæ.

juniperi a. 3ij.

mastic. 3ij.

Contus. contus. f. A.

adde

el. ligni Rhod. g. xij.

Sign.

species pro cucupha.

Radicem pæoniæ, Corallia, Lapid. chrysol. Fassidem de collo suspensum, cœn nobile amuletum, & certissimum omnibus hujusmodi morbi causis abigendis proficuum clamant. Balduinus Rossæus de hum. vit. primordiis & miseriis ejus valoris esse dentem Lupinum prædicat. Pellem Lupinam & Asininam pro integumento, dum dormitur, usurpatam non solùm specificâ virtute, sed & siccando & caletaciendo viscera firmare & cruditati ansam præiedere volunt. Datur & Lapis Ephialticus, qui cunabulis insertus infantes ab incubo præservare creditur. Pectori ut & ventriculo, jecori, hypochondriis etiam admovenda externa corroborantia.

Quantum ad vivendi rationem, &amp;

DIÆTAM, eâ in legitimâ rerum sex non naturalium administratione consistit. Quibus solis legitimè adhibitis hoc malum, si non inveteratum sæpissimè, superatur.

AER sit moderatè calidus, siccus, purus, lucidus. Si non naturâ talis, arte paretur.

By succin. alb. rasi

flavi pulveris

gum. mastic.

sandarach. a. 3B.

e lemi.

styrax. calam.

PACA-

racamabac.	benzoës amygdal. 3 <i>fl.</i>	2 <i>v.</i>
benzoin. a. 3 <i>ij.</i>	mosci	
Eign. aloës 3 <i>j.</i>	ambr. a. 3 <i>fl.</i>	
cubebar.	el. cinam.	
caryophyl. a. 3 <i>ij.</i>	rhodin.	
fl. rosar. rubr. p. iii <i>j.</i>	caryophyll. a. 3 <i>fl.</i>	
F. Pulvis pro suffitu.	majoran. g. xv <i>j.</i>	
Rx granor. styrac. calam.	cum flyrac. liquid. in morta-	
3 <i>j.</i>	rio calido F. Pastill. opti-	
mastic.	mi, ad suffiendum conclu-	
thuris a. 3 <i>ij.</i>	de.	

Vitet ægrotus frigora & imbres, radios Lunæ, præcipue, quorum qualitas frigida humida, & tam frigus vespertinum, quam matutinum, ex capite & ventriculo laborantibus, perniciosum.

Cibus sit electus εὐχυμός καὶ εὐπεπτός, qualitate incidens, attenuans, flatuunt expers, conditatur aromatibus. Abstineat à leguminibus, fungis, tuberibus. Vitet Crapulam. Coena sit parcior prandio, ne tempore somni vapores ad cerebrum turbulentia adscendant, dum sit coctio. Hic turbulentus adscensus etiam ut inhibetur, post coenam utatur materia auxilii roborantis ventriculi, & adscensum reprimens. Tale reprimens erit conserva conionior, & præparatum Coriandrum, vel à coena utatur bolo panis intincti in vino granatorum.

Rx Trageæ gross. secundum	corall. rubr. præp.
description. Augustapo-	cinam.
nor. 3 <i>ij.</i>	nuc. mose. a. 3 <i>ij.</i>
Dissensetur recenter. S.	Pulveris. omnibus minut.
Erisnet nach Essens.	adde
Rx panis alb. tost. 3 <i>ij.</i>	Saccar. ros. tabul. 3 <i>vij.</i>
coriand. præp.	Dos. coch. j. post pastum.
rosar. rub. exsic. a. 3 <i>fl.</i>	vel per se, vel cum pane in
masticis	vino macerato.

Manē

**22** **M**anè surgens capitis PECTENATIONIBUS jejunio utatur  
ventriculo.

**P**otus sit Cerevisia tenuis, vel aqua hordei ad crepatum  
ratum cum aniso, & coriandro cocta. **V**inum sit clarum, limpidum.

**S**OMNUS non sit meridianus, sed nocturnus, isque mode-  
ratus.

Non exploditur τὸ μεσημέριον veterum, qui peractis ne-  
gociis majoris momenti circa meridiem cibum sumebant sed le-  
viter, deinde meridiabantur & paulisper quiescebant, sed benè pa-  
sto corpore ab ingluvie indormire, & post ad negotia se confer-  
re. In eo decubitus forma attendenda. Vitetur omnino supinus  
in dorso. Cubet in latus dextrum vel sinistrum, manus, cervicem  
& crura paulum reducta, & omne corpus molliter positum habeat:  
ita enim plerique benè valentium cubant. Nec quoque post pa-  
ustum statim & super satietatem, sed post duas aut tres à cœnâ horas  
dormiendum est.

**A**NIMI PATHEMATA, quæ corpus alterant, & à statu naturali  
deturbant, vitentur: econtrà, quantum possibile est, animo quies-  
procuranda.

**E**XERCITIA corporis & deambulationes non sunt negligenda,  
principiè æthere sereno & fudo.

**V**ENUS ante primum somnum vitetur, imò in universum  
noxia esse judicatur, nisi oriatur affectus à semine diutius re-  
tentus.

**A**LVUS quotidiè respondeat.

**C**ONCLUDEMUS verbis Avicennæ capite de Incubo. Sed non  
oportet, ut prolongemus sermonem in ipso, quoniam jam præcessit,  
quod excusat. Quia de similibus alibi actum, & non solùm victus  
ratio, sed & catalogus agendorum in affinibus adfectibus  
anteà sapè propositus, ideo etiam hīc receptui ca-  
nentes terminalia locabi-  
mus.

SLUB DRESDEN



3 1399487

